

XVII. *Subiectum* autem hic, ut alias, duplex contemplan-  
dum est: *Quod* & *Quo*, sive ut alias loquuntur, *subiectum De-*  
*nominatiōis* & *Inhabitiōis*. *Illud*, suppositum denotat, quod in  
casu recto, gustare aut prægustare beatitudinem, denomina-  
tur. *Hoc*, partem eam aut facultatem, (unam aut plures) impor-  
tat, secundum quam, (aut quas) homo qui gustat, gustare bea-  
titudinem deprehenditur.

XVIII. Sunt ergo *Subiectum Quod* prægustus beatitudi-  
nis. Homines vere Fideles, Renati seu Conversi & Justificati;  
quemadmodum Paulus eos, *qui sunt in Christo Jesu*, (sunt autem  
per fidem in Christum, neque aliter in eo possunt,) *qui non*  
*juxta carnem ambulant, sed juxta spiritum*; Rom. VIII, 1. *primitias*  
*Spiritus habere, & spe salvatos esse*, pronunciat. Ibid. v. 23. & 24.  
Et rursus in Ep. ad Ebr. Cap. VI, 4. 5. de his *qui pœnitentiam ege-*  
*runt ab operibus mortuis, & fidem habent in Deum* (v. 1.) quique  
*illuminati sunt spiritualiter*, affirmat Apostolus, quod *gustave-*  
*rint, sicut donum cœlestē & bonum Dei verbum*, ita quoque *virtu-*  
*tes futuri seculi*. Certum autem ex adverso est, eos, qui *anima-*  
*les sunt, spiritum non habentes*, (quales Judas describit vers. 19.)  
adeo alienos esse a prægustu beatitudinis, ut vel aperte eum pro-  
ludo aut joco habeant; vel si maxime *μὲν φῶς* seu *formam* quan-  
dam *pietatis*, ac spiritualis vitæ habeant, *vim* tamen ejus inter-  
nam negent aut non experiantur: juxta illud II. Tim. III, 5.

XIX. Cæterum *Reformati* quidam hic nobis occurrunt,  
*subiectum prægustus beatitudinis nimium coarctantes, & ad*  
*electorum*, seu immutabili decreto Dei salvandorum cœtum uni-  
ce referentes ac restringentes: quos Nostri ex hoc ipso loco  
Ebr. VI, 4. erroris facile convincunt: scilicet, quod manifeste  
illic docetur, fieri posse, & aliquando solere, ut hi ipsi, *qui*  
*virtutes futuri seculi gustarunt, denuo prolabantur, atque ab integro*  
*crucifigant sibi metipsis Filium Dei, & ludibrio exponant, nunquam re-*  
*novandi ad pœnitentiam, reprobi potius ac maledictioni obnoxii*: vers.  
6. & 8. Unde recte colligitur, etiam, fideles *ἔτι πιστοὶ καί γε*, dum  
adhuc fideles sunt, capaces esse prægustus vitæ æternæ: etsi,  
quia postea in peccata contra conscientiam, & abnegationem  
verita-

verita-